



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Saxonia Catholica, Hoc Est Christianae Fidei, Qvam Ad  
Salvtem Animarvm Aviti Avgvstae Domvs Saxonicae  
Principes, Reges, & Imperatores coluerunt, Gloriosa  
Confessio**

**Cutsemius, Petrus**

**Coloniae Agrippinae, 1621**

De Alberto Animoso, Et Filiis Eivs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11884**

ninò maiores eius discesserunt, in qua ut omnes omnino posteri quoque ad æternam animarum suarum salutem hinc discendant, ex toto corde precor, & exopto.

## DE ALBERTO ANIMOSO, ET FILIIS EIVS.

**T**RANSILIO nunc ad alterum Friderici II. filium, Albertum, tuum, Serenissime Princeps, Abauum, qui ab inuicti animi robore, & rerum, quas pro dignitate Imperij, Patriæq; & suorum prosperitate gesit magnitudine, *Animosus*, ab Innocētio IX. Pōtifice Romano *Dextra manus Imperij*, & à milite Belgico *Rolandus* est cognominatus. Et quidē in titulo à Pontifice attributo multū sibi frater defunctus Christianus II. cōplacuit, quo etiā honorificè hunc suū Progenitorem in deductione iuris Saxonici, quoad circuli VVestphalici Prouincias Rhenanas Patriæ mēx nominauit, & citauit. Et verē in eo gloriari potuit. Suā enim ille manu diuersos contra Imperatorem, & Imperium quod tunc temporis valdē periclitabatur, insurgentes hostes fortissimē deuicit; Gallos Belgio exturbauit: Belgium ipsum in periculofissimo rerum statu ex difficillimis bellis ciuilibus explicuit, & pacauit; infrenem Frisiam sub Imperij habenas reduxit; Matthiam Regem Hungariæ in Austria aliquot prælijs contudit, &

ad pa-

ad paciscedum iuxta conditiones, quas ipse  
præscriberet, adegit; Breuiter; nomine, & af-  
pectu Vngaris, Gallis, Belgis, Frisijs, &c. ter-  
ribilis, & in consilijs, conatibusque expedi-  
ta celeritate (rare in Germanis exem-  
plum, qui diu tractant, antequam concludūt,  
diuque minantur, antequam feriunt, imò sœ-  
pe inter feriendū ab iectu abstinent) omnibus  
admirabilis, clemētiā interim post victorias,  
etiam hostium testimonio commēdatus. Re-  
gnum Bohemiæ sibi aliquādo oblatū renuit,  
forte sua contētus. Pijssimus tandem Princeps,  
summi Pontificis ore laudatus, & Martis, &  
Mortis pericula fatis expertus, in secūda con-  
tra Frisios rebelles expeditione prope Emb-  
dā occubuit d. 12. Septembr. An. 1500.\* Fun-  
davit paulò ante mortē Ecclesiā Collegiatā S.  
Mariæ quæ est Friburgi, consecratā in vigilia  
Assumptionis à Iohanne V. Episcopo Misnēsi,  
An. 1480. Reliquit tres filios ætate maturos,  
Georgium, Henricum, & Fridericum; reli-  
quos impuberes extinctos.

\* Pet. Al-  
bin. in  
Chron.  
Misn.

## DE GEORGIO, TRACTVS LIPSENSIS DOMINO.

**A**CC Georgius quidē, historia Sleidani ce-  
lebris, paternę pietatis, & virtutū æmu-  
lus, infenſissimus fuit Lutheri inimicus, mul-  
tumq; laborauit pro conseruanda in prouin-  
cijs Saxoniae religione Catholica. Fuit aliâs

N 2

etiam